Not in Berlin
Lipper Leide
Ruggieri
Dmgulm
Vinet
Praz

Rare
Not in Praz

7/63

Digitized by the Internet Archive
in 2012 with funding from
Duke University Libraries


http://archive.org/details/funerissolemniai00jung

Funeris Solemnia
in lugubri apparatu
Sereniſsimo ac Eminentiss. D D.
IOANNI THEODORO
S. R. E. Cardinali
Episcopo Frising. Ratisbon. Leodic.
U. Bav. Palat. ſup. ac Bullion Duci,
S. R. I. Principi,
Comiti Palatino Rhoeni,
Landgravio Leuctenberg.
Marchionj Francimont &c. &c.
parentata
À Sereniſs. ac Potentiſs. Principe
MAXIMILIANO IOSEPHO
Duce ac Electore Bavariae &c. &c.
in Templo Elect. Clericor. Regul. Theatinor.
et ab ijsdem adornata;
dein
collecta et aeri incisa
À
Francisco Xaverio Jungwierth
Chalcographo Monacensj.
1763.

D-7
J95F

Honori ac Venerationi
Illustriſsimi ac Excellentiſsimi DD.
Jos. Christoph. Egcker
Lib. Bar. de Käphing et Liectenegg,
Domini in Kalling, Köging, Weeg, et Laberweinting,
Sereniſs. Ducis, ac Elect. Bavariæ pp.
Consiliarij intimi et Camerarij:
nec non
piæ memoriæ
Sereniſs. ac Eminentiſs. Cardinalis Bav. &c.
Consiliarij item intimi, à Conferentijs Ministri,
Supremi Camerarij,
ac Præfecti in Burgrain,
Domini, ac Mæcenatis Gratioſiſsimi,
in teſseram
Perennis et nunquam interituræ Recordationis
funebres hasce pagellas
devotiſs. mentis Submiſsione
D. D. D.

Fr. Xav. Jungwierth.



CASTRUM DOLORIS

Sereniſs. ac Eminentiſs. Cardinali Bavar. qui die 27. Mensis Ianuarij 1763. Leodij obiit, erectum Monachij in Templo Elect. Clericorum Regul. Theatinorum die 18. Mensis Febr. MDCCLXIII.

Ignatj Schilling. Pinxit. *Jungwierth Sc. et Excudit. M.*

D · O · M ·

VENERANDIS . MANIBUS

IOANNIS. THEODORI

S·R·E· CARDINALIS, ET S·R·I· PRINCIPIS

EX·DUCIBUS · BAVARIÆ

PRÆSULIS

FRISING · RATISBON · LEOD ·

TER · MAXIMI

PRÆSTANTISS · VIGILANTISSIMI

AMANTISSIMIS · EX·PATRUIS

POSTREMI

IURE · SANGUINIS · POSTULANTE

IUSTA · PERSOLVIT

MŒRENS

MAXIMILIANUS · IOSEPHUS

S·R·I·PRINCEPS·DUX·ET·ELECTOR·BAV·

EX · FRATRE · CÆSARE

NEPOS ·



Ignati. Schilling. pinxit. *Iungwierth. Sc.*

DEGIT IN EXCUBIIS



EN;

QUOMODO ELEPHAS;

FESSOS QUUM SOPOR IRRIGAT ARTUS,

LEVI SE RECREET SOMNO

ARBORI INNIXUS,

ET EXCUBANS!

NE

OPTATAM CEDAT IN PRAEDAM ILLIS,

NOCTURNAS QUI STRUUNT INSIDIAS,

SIC

IOANNES THEODORUS

PASTOR VIGILANTISSIMUS

VIGILAVIT, CURAVIT, EFFECIT,

UT DILECTISSIMAE OVES SUAE

MORIBUS IMBUERENTUR OPTIMIS,

SOLIDAQUE IN CHRISTI DOCTRINA

SOLIDARENTUR!

NE


IN VIA EUNTES PER INVIA

TRAHERENTUR AB ILLIS,


QUI IN VESTIMENTIS OVIUM VENIUNT,

INTUS AUTEM

SUNT LUPI RAPACES.




DUM
FURIT, AC FRENDET EQUUS
SPUMISQUE TUMENTIBUS ALBET,
BLANDITIIS
OPUS EST, ATQUE MINIS,
VESANAS UT EIUS COMPESCAS IRAS
THEODORUM QUI VIDIT,
VIDIT EUM,
AD BONI PRINCIPIS NORMAM
NUNC IUSTAS IACTITARE MINAS
SUOS IN SUBDITOS!
ALTIUS NE
COLLA ERIGERENT SUPERBA:
NUNC TENELLO EOS AMORE AMPLEXARI,
UT DURA EORUM CORDA VINCERET,
DEVINCERETQUE SIBI:
NUNC PARCERE, SI MULCTARET,
MULCTARE SI PARCERET,
TANTI PRINCIPIS VIRTUS
QUID ALIUD RELINQUAT POSTERIS
NISI STUPOREM.


EHEU
IN . SEXTA . ÆTATIS . DECADE
CADIT
PURPURATORUM . PROCERUM . DECUS
ECCLESIÆ . CULMEN . ET . COLUMEN
PRINCIPUM . SPLENDOR
IOANNES . THEODORUS
O . MORS . AVARA
QUÆ
DEMESSUISTI . SEGETEM . PUBL . FELICITATIS
UNICO . ICTU
SED
FATALIS . FALCIS . MESSIS . HÆC . EST
ET . MORTIS . LUDUS .



QUAMVIS STELLATUM SIT UNDIQUE COELUM,
SE TAMEN MAGNES
MOVET, ITERUMQUE REMOVET,
NEQUE QUIESCIT PRIUS,
DONEC
STELLAM POLAREM CYNOSURAM SUAM
ASPICIAT.
HANC MIRABILEM MAGNETIS VIRTUTEM
ADAMUSSIM SEQUITUR
PIENTISSIMUS THEODORUS,
QUI
OMNES INTER FALLACES MUNDI HONORES
INFELICEM SE REPUTAVIT,
DUM COR EIUS LONGIUS ADEO ABFUIT,
IN QUO SOLA QUIES, SOLA VOLUPTAS
POSITA ERAT:
CUIUS AD LAUDEM QUOTIDIE LINQUAM EXSOLVIT,
LITANSQUE AD ARAM DEVOTIONEM SPIRAVIT,
DONEC IMMITI MORTIS FALCE
FUIT E MUNDO ABLATUS, SED TRANSLATUS
AD ILLAS, UT SPERAMUS SEDES,
UBI REGNAT
PERPETUA CLARITAS, PERPETUA CHARITAS.





PONS CONSUMITUR,
RAPIDA QUUM ALIIS FLUMINA
SICCIS TRANSIRE PEDIBUS
LARGITUR.
THEODORUS
SE SUOSQUE CONSUMPSIT THESAUROS,
DUM IN CHARITATIS MOTU SINE META
MISERICORDES EIUS MANUS
GRATUM PORREXERE MUNUS
EGENTI TAM SENI QUAM IUVENI
TAM FIRMO, QUAM INFIRMO.
AH
QUOTIES SUAS DIREXIT PUPILLAS AD PUPILLOS!
QUOTIES VIDUIS OMNI VIDUATIS OPE
FUIT OPITULATUS:
EIA ERGO
PAUPERUM TURMA
TAM CITAM VESTRI DATORIS MORTEM
PLANGITE, LUGETE, ULULATE,
VESTROQUE DE OFFICIO VESTRIS IN PRECIBUS
AETERNAM ADPRECEMINI REQUIEM.

ASPICITO HOC
FERETRVM
THEODORI FVNERA
PLANGENS

ECCE FRISINGA ET
RATISBONA LVGENT
THEODORVM.

THEODORI MORS
BOICAE GENTIS
LVCTVS.

MORTE OCCVBVIT
PASTOR
LEODIENSIS.

THEODORVS
CARDINALIS E VITA
CEDENS.

SUPER HOC
LAUDABIT TE POPULUS FORTIS, QUIA
FACTUS ES FORTITUDO PAU=
PERI, FORTITUDO EGENO IN
TRIBULATIONE SUA.

Isaiæ cap. 25. V. 3 et 4.



LACHRIMAS . FUNDITE . POPULI
QUOS
ISARA . DANUBIUS . ET . MOSA
ALLUIT
OBIIT . PASTOR . VESTER
SERENISS. EMINENTISSIMUS
QUI
PIETATE . MUNIFICENTIA
PRUDENTIA . AC . RELIGIONE
ITA
REXIT . ECCLESIAS . SUAS
UT
TOT . AUREIS . FLAMMARUM . PENNIS
INSCRIBATUR . COELO
QUOT . FACIBUS . ARDET
ROGALIS . HÆC . MOLES .


TEMPERAT IPSE SIBI
En! leo quadrupedis ſit quamvis gloria gentis,
cum cane colludens temperat ipse ſibi:
Est Theodore tuæ non infima gloria laudis,
quod miti Princeps pectore ſemper eras.


FORTIS IN ADVERSIS.
Immotus remanet ſuprà ſua fulcra coloſsus,
Ventorum quisquis ſit furor, atque maris:
Fortis in adverſis quoque tu Theodore ſtetiſti,
Pectus et Heroum ſternere nil poterat.


IN DUBIIS PRUDENS
Explorat glaciem vulpes, tranſitque, ſuſurros
ſi non percipiat, ſi ſecùs, inde fugit:
in dubiis prudens ſemper Theodore fuisti,
maturo expendens ſingula consilio




LIBRANDO PONDERA IUSTUS
Si vult metiri geometra ſitum Regionis,
tunc librare æquo pondere cuncta ſolet:
ſic Theodorus erat librando pondera iuſtus,
tradere quod ſolitus ſit cuicunque ſuum.